

7+8/88

IDIBVS AVGVSTIS
MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC. 72

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

| | |
|-----------------|------------|
| In Helvetia | Fr. 14.-- |
| In Germania | DM 20.-- |
| In Austria | ÖS 140.-- |
| In ceteris | |
| Europae terris | Fr. 20.-- |
| In terris trans | |
| maria sitis | US\$ 18.-- |

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

| | |
|----------------|------------|
| Schweiz | Fr. 14.-- |
| Deutschland | DM 20.-- |
| Oesterreich | ÖS 140.-- |
| Übriges Europa | Fr. 20.-- |
| Uebersee | US\$ 18.-- |

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Carae carique legentes

Die XXI^o mensis Maii anno MCMLXXXVIII^o collegae RUMOREM VARIUM edentes sessiunculam nostram annuam Turici non ut prioribus annis in aedibus AKADis, sed ad decimum diem RUMORIS VARIII natalem celebrandum in caupona, cui nomen est "Waag", habuimus. Qua in sessiuncula socii nostri Barbara Maier, Rosmarie Delachaux (quae res pecunarias ad RUMOREM VARIUM pertinentes curat), Martinus Meier, Dr. Georges Durtschi, rector scholae AKADis, nobiscum aderant. Consocii autem Dr. Emanuel Bernard et Dr. Fridericus Ebel (AMICUS) et consocia Christina Portner - heus - impediabantur quominus adesse possent.

Quid autem hoc conventu decrevimus convivantes, partim vinum, partim aquam mineralem bibentes, carnem fumo siccata caseumque edentes?

Udalricus Aeschlimann munus disponendarum symbolarum, quae RUMORI VARIO, ut publicentur, a legentibus mittuntur (et ut speramus - futuris quoque temporibus mittentur!) ineunte mense Iulio huius anni consocio Danieli Weissmann mandabit; non propter aliquod taedium huius muneris per multos annos iam a se suscepti Udalricus id fecit, sed propter multitudinem aliarum cottidianarum occupationum in schola AKADE, in qua munere rectoris fungitur, annis praeteritis magis magisque auctam. Nihilo minus reliqua negotia, quae adhuc curavit, etiam futuris temporibus suscipiet: Societatis Latinae Turicensis praeses et moderator erit, symbolas RUMORE VARIO divulgandas porro componet.

Haec mutatio autem amicis RUMORIS VARIII vix manifesta erit, nisi praefationes singulorum libellorum non iam ab Udalrico, sed a Daniele compositae erunt.

His rebus ab omnibus, qui aderant, probatis et decretis

hilaritate animos nostros refecimus narrantes, ioculantes, diem decimum natalem nostri libelli usque ad vesperum celebrantes.

Valete et porro symbolas - sive res hilares, sive res serias tractantes - nobis mittite!

Daniel Weissmann

Udalricus Aeschlimann

D. Weissmann

U. Aeschlimann

Dabamus Turici, die XIX^o mensis Iunii anno MCMLXXXVIII^o



DE ITINERE HIBERNICO

(narrationis pars prima)

Sunt, quorum uxores suavissimae constanter suadeant pertinaciterque moneant, ut ferias terris in longissime remotis agant. Meum vero corculum maxime amat montes patrios conscendere atque regionem, qua est nata, perlustrare. Eo stupefactor factus sum, cum die quodam "En, Martine, marite amatissime dilectissimeque", exclamaret, "in Hiberniam (1) proficiscamur!" Gaudio correptus "Libenter te sequar", inquam, "quocumque te verteris, libentissime autem in eam insulam, quam sanctorum vocant."

Factis faciendis praeparandisque praeparatis die Lunae quodam mense Quinctili anno 1987^o tempore satis matutino tramine ferriviario Uripoli (2) in aëriportum Turicensem translati sumus. Tremens Monica mea: "Numquam - pro Deus! inquit "adhuc volavi. Estne periculosum volare?" - "Non periculosius quam autocineto vehi, immo multo minus, quia quotannis multo plures homines casibus autocineticis interficiuntur quam aëroplanis de alto cadentibus vel a terroristis dirutis." - "Eheu, utinam ne terrorista in aëroplano nostro sit!"

Talibus verbis bona spe abundantibus dictis sarcinae (3) nostrae ad ostiolum (4) quoddam deponendae, nobis autem syngraphi (5) monstrandi erant, ne prohiberemur, quin patriam nostram carissimam relinqueremus. Hora nona matutina in aëroplano Britannico Londinium (6) volaturo sedentes motra (7) moveri atque strepitare audivimus. Nunc reditus non iam patuit. At Monica, postquam metum volandi vicit, volatu frui coepit maxime. "Ecce Alpes! Quanta velocitate progredimur! Eheu, nubibus altiores volamus, nihil iam videri potest nisi caelum caeruleum." Equidem, qui iam nonnullis annis ante Petropolim (sive, secundum sermonem Marxisticum, Leninopolim)(8) volaveram, non iisdem sensibus captus gaudium voce minore expressi. Londinii vero caelum non caeruleum, sed canum erat, imbresque cadebant ingentes. Decepti "O malam tempestatem Britannicam!" vociferati sumus. "Si iam Londinii tali modo pluit, quid exspectandum erit Senipoli (9)?" Primum autem curis maioribus vexabamur, cum per aëriportum giganteum erraremus quaerentes ostiolum societatis aëroplanigerae Hibernicae, quae dicitur "Aer Lingus". Denique dominulam vestibus viridibus indutam atque capillis rutilis (10) mirum in modum ornatam adfati sumus (Anglice scilicet!): "Veniam in nos des, quaesumus, honestissima, sed ubi terrarum inveniemus ostiolum "Aer Lingus"?" Tunc ea: "Nolite quaerere pergere, quoniam ante ostiolum statis!"

Mox iam ante aëroplanum signo trifolii, emblematis ergo Hiberniae, signatum conscendimus, quod nos trans Angliam Mareque Hibernicum ferret. Anglia vix relicta sol splendere coepit, ut putares te esse in Italia vel alia terra mediterranea! Monica iterum gaudio capta: "Ecce, Hibernia nos salutat!"

Hora circiter prima postmeridiana Senipolim appulimus, quod oppidum nihilo continetur nisi aëroportu satis immenso, deversoriis tabernisque (11) atque domibus, quas inhabitant operarii aëroportus. Qui constructus est anno 1048^o, ut aëroplana trans Oceanum Atlanticum volantia benzinae sumerent. Hodierna autem aëroplana pyraulocinetica (12) sine mora ab Europa in Americam volare possunt, unde fit, ut Senipolis non iam tanti momenti sit, quanti fuit antea. Ad Hiberniam vero occidentalem detegendam Senipolis optimus

appellendi locus est. Hic autocinetum parvum locavimus. Vehicula publica, quibus domi semper utimur, ne naturam polluamus, non permittunt certa loca adire vel loco quolibet iter interrumpere. Birotarium (13) vel pedestre iter -confiteor! - nobis nimis incommodum videbatur neque aptum ad totam insulam invisendam.

Primum nobis officium erat occasionem pernoctandi quaerere, quae res in Hibernia est facillima, cum quoque in vico multarum de domorum parietibus vel portis inscriptiones pendunt "Bed and Breakfast" (sive tantummodo B & B)" viatoribus indicantes hic parvo pretio inveniri posse conclave atque ientaculum. In vico non longe ab aëroportu distante, cui nomen Newmarket-on-Fergus (Latine: Novum Forum supra Fergum fluvium situm) apud familiam vere Hibernicam desiderata adepti sumus. Cordibus solito celerius more pulsantibus portam adiimus, quae subito patefacta est a muliere parva statura familiariter subridente: "Salvi sitis, hospites, quid desideratis?" - "Salva sis, domina! Te benigne rogare velimus, ut habeas nobis conclave duorum lectorum atque conclave unius lecti. Vesperi enim amicus quidam e nostris Senipolim appellet, quocum diebus instantibus per totam insulam vehamur." - "O, certo habeo, certo! Unde venitis? Placetne vobis Hibernia?"

Tali modo alieni semper ab Hibernis interrogantur, quia patriam suam maximopere diligunt. Humanus si esse volueris, Hiberniam lauda, tunc is, qui interrogaverit, etiam te patriamque tuam laudabit.

Nos autem, qui numquam antea in Hibernia fueramus, aperte diximus: "Nil de insula tua dicere possum nisi hoc unum: "Tempestas multo suavior est quam apud nos iudicatur." Ad quae mulier: "Heu vos felicissimos! Hodie primus ex tribus septimanis dies est, quo non urceatim pluat. Deum Mariamque Virginem vobis favere manifestum est." Interea etiam maritus atque filiolae dulcissimae octo et septem annos natae accesserant nos salutatum.

Quod multum nobis tempus remansit, per postmeridianum tempus regionem circum Newmarket sitam inquisivimus. Iam mox et ruinas monasterii mediaevalis et arcem ingentissimam Britannorum invenimus.

Index vocabulorum

| | | |
|----|-----------------------------|--|
| 1 | Hibernia, -ae (f) | Irland, Ireland, Ireland |
| 2 | Uripolis, i- (f) | Urdorf (locus, quem auctor inhabitat) |
| 3 | sarcinae, -arum (f) | Gepäck, bagage, luggage |
| 4 | óstiolum, -i (n) | Schalter, guichet, office |
| 5 | sýngraphus, -i (m) | Pass, passeport, passport |
| 6 | Londinium, -i (n) | London, Londres, London |
| 7 | motrum, -i (n) | Motor, moteur, motor |
| 8 | Petropolis, -is (f) | Petersburg / Petrograd |
| 9 | Senus, -i (m) | Shannon (flumen Hiberniae longissimum) |
| | Senípolis, -is (f) | Shannon (oppidum ad Senum fluvium situm) |
| 10 | rutilus, -a, -um | rot, rouge, red (quoad capillos) |
| 11 | deversorium, -i (n) | Hotel, hôtél, hotel |
| | taberna, -ae (f) | Geschäft, magasin, shop |
| 12 | aëróplanum pyraulocineticum | Düsenflugzeug, avion à réaction, jet plane |

Martinus Meier



SOLUTIONES

... quadrati magici, quod vobis in priore RVMORIS VARIÍ fasciculo proposuimus, hic demonstrantur:

| | | | | |
|----------------|----------------|----------------|----------------|----------------|
| ⁴ S | ² O | ³ P | ⁴ O | ⁵ R |
| ³ O | M | I | N | A |
| ³ P | I | P | E | R |
| ⁴ O | N | E | R | I |
| ⁵ R | A | R | I | S |

1. somnus
2. signa hominibus a deis missa
3. condimentum acre
4. quo dorsum asini premitur, qui aliquid portat (Dat.sg.)
5. quae non saepe inveniri solent (Dat.pl.)

Iusiurandum ~ Ruetlicum ~ confoederatum

(in fabula "Wilhelm Tell" a Friderico Schiller composita)

Pastor Roesselmann(us) (Eculearius):

Per lucem eam, quae nos prima nunc
Praeter ceteras profunde sub nobis gentes
Graviter in oppidis spirantes hic salutat,
Iuremus iusiurandum foederis novi!
Sic, simus uns fratrum nosmet natio
Nulla necessitate separata.
Liberi simus nos maiorum more,
Praestat nos mori quam in servitute vivere.
Unico Deo Summo confidamus,
Potentiam hominum ne timeamus.

AMICUS




Praeclaræ mulieres Italicae

Sophia Loren, maxima ac-
trix cinematographica Ita-
lica, omnibus notissima in
orbe terrarum est. Nata
est Romae die XX° mensis
Septembris anno 1934°, sed
paucos post dies Puteolos
apud Neapolim advenit; ve-
rum nomen erat Sophia Sci-
colone. Pulcherrima, cor-
pus floridissimum, va-
lens et robustum iam adu-
lescens ostentabat: mensu-
rae 90 - 60 - 90 (sinus,
cinctus, latera) plurimi
factae sunt. Certaminibus
pulchritudinis (primis in
Italia post bellum munda-
num) interfuit, semper
probata summopere exiit.



Cursum cinematographicum incepit anno 1949° in pellicula
historiae Romanae "Quo vadis?" vocata. Per quinque annos
secundas partes egit, primas autem in pellicula "Aurum
Neapolitanum" (anno 1954°). Felix exitus fuit. Ab anno
1957° ad annum 1959um Ruscisilvae (Hollywood) in America
commorata est, postquam productori Carolo Ponti obnupserat.
Mox, mundana actrix princeps, permultas pelliculas egit cum
summis Americanis actoribus: "Superbia et amor" (1957) cum
Gary Grant, "Cupiditas sub ulmis" (1958) cum Antonio Per-
kins. Cum in Italiam redisset, pellicula "Mulier Frusinas"
praemio "Oscar", quod maximum est, honestata est.
Sophia Loren omnium consensu erat in numero summarum arti-
ficum, inter quas laudo Ingridem Bergmann, Gretam Garbo,
Gratiam Kelly, Brigittam Bardot, Elisabetham Taylor, Evam
Gardner, Annam Magnani, Ginam Lollobrigida, Audrey Hepburn;
omnes partes mutavit egitque, modo fuit pauperrima rustica
modo nobilissima matrona. Pelliculis celeberrimis optime
meruit: "Heri, hodie, cras" (1963), "Matrimonium Italico
more" (1964), "Erat olim" (1966), "Comitissa in urbe
Hong Kong" (1967, cuius dispositor fuit summus Charly
Chaplin), "Helianthi" (1969), "Brevis occursus" (1974),
"Dies singularis" (1977), "Aliquid flavi" (1983), ut titu-
los maiores tantum commemorem. Sophiae, miliardariae matro-
nae sed humanissimae feminae, quinque domus sunt in quin-
que urbibus; ipsa vitam suam narravit et liber de vita
eius compositus celerrime veniit (milio et dimidia exempla-
rium), quattuor linguis optime loquitur, surgit cotidie
hora sexta, cubitum it ad nonam. Vitam autem degit simpli-
cem sanamque, dum duo filii, Carolus iunior (anno 1968°
exeunte natus) et Edoardus (anno 1973° natus) eam affectu
implent. Haec est Sophia Loren, dulcissima mater et mulier
artis coquinariae peritissima.

Florindo Di Monaco



Graecorum philosophorum sententiae

Nicomacho, Aristotelis filio, qui tarde philosophabatur, Theophrastus: "Non modo opum patris heres esse decet", ait, "sed etiam studiorum eius."

Alicui querenti et maerenti de ipsius malis Chilon dixit: "Si omnium hominum mala cognosceres, minus tua propria tam moleste ferres."


Theophrastus homines formosos quidem, sed non eruditos similes esse alabastris acetum continentibus existimavit.

Aliquis Zenoni philosopho: "Paradoxa", ait, "dicis." Tum Zenon: "Sed non paraloga (dementia, vana)."

Leges non multum valere, sive bonorum sive improborum causa constitutas Demonax causidico dixit. Illos enim earum non egere, hos iis non meliores fieri.

Interrogatus, quomodo iuvenis minime vitia committeret, Zeno respondit: "Si ante oculos habet illos, quos maxime veneratur et honorat."

Evitandum esse et amorem improborum et odium bonorum Pythagoras existimavisse fertur.



Daniel Weissmann

"Quomodo fideliter scire possum revera serpentem pecunia a me data frui-turum?"

Fabula de duabus ranis agens

Fabula, quam vobis narratura sum, originem ducit a solis orientis finibus.

De duabus ranis altera vitam degit in quodam rivo haud longe ab urbe Osaca, altera autem in parvo flumine, quod urbem nominis Kyotonis perfluit. Numquam vero altera de altera audiverat, nam domicilia earum longo intervallo disiuncta erant. Tamen ambae eodem desiderio peregrinandi tenebantur.

Altera urbem Osacam visere petit, altera urbem Kyotonem. Eodem die casu multo mane in viam se dant. Ranae, cum semper domesticis finibus se tenuissent, itineris faciendi imperitae erant. Ignorabant sane montem altum inter ambas urbes situm esse. Maximis saltibus datis postremo summum montem attingunt. Mirum, altera alteri ex inopinato obviam venit. Primo hac re obstupefactae nullam vocem emittunt, deinde omnem rem magna cum eloquentia agitant. Colloquendi quietisque capiendae causa locum umbrosum eligunt. "Aegre fero", inquit urbis Osacae incola, "nos proceriores non esse. Si essemus maiore statura, hoc ex loco ambas urbes conspiceremus." - "Noli te macerare", inquit altera, "facile id factu erit. Pedibus posterioribus stantes manibusque nos tenentes urbem, quam petimus, videre poterimus." Sententia haec ab altera probatur. Ranae in digitos se erigunt oraque in urbem exoptatam vertunt, altera in urbem Osacam, altera in urbem Kyotonem. Quia autem stultae sunt, non meminerunt se propter oculorum ordinem tantum retro spectare posse. Nihil aliud vident nisi urbem eam, unde profectae sunt. "Mehercle", inquit Osacae urbis incola, urbs tua urbis meae similis est." - "Recte dicis", inquit altera, "urbes nostrae inter se haud differunt. Quae res itinere longo digna non est. Domum redeamus!" Quid plura? Altera alteram valere iubet. Tum ambae domum revertuntur. Putant enim urbes Osacam et Kyotonem inter se dissimillimas simillimas esse.

Barbara Maier


Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
KALENDIS OCTOBRI BV S EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

- | | |
|--|---|
| 4 modus ad longitudinem metiendam (Acc.) | 35 conclave lacunaribus orno |
| 7 cupide | 36 dona |
| 11 pars corporis, qua poetae sensus amoris esse dicunt | 37 iit |
| 12 pulchrae | 39 littera alphabeti Graeci |
| 15 Hispanice | 40 tenebricosa |
| 17 flumen in Hispania situm (Gen.) | 42 urbs Hispaniae Tarraco- nensis (Gen.) |
| 18 transformata | 44 quae nihil scit |
| 20 parva bestia aculeis praedita | 47 meretrix celeberrima Corinthia (Abl.) |
| 21 animalis, sed non hominis | 48 ad quandam provinciam Ro- manam in oriente sitam pertinens (Acc.n.pl.) |
| 23 incrementum | 49 pecunia pro vectura solvenda (Nom.pl.) |
| 25 urbs in Ionia sita (Dat.) | 51 poenas dabit |
| 26 incola insulae, quae patria celeberrimae poe- triae Graecae est (Acc.) | 52 custos |
| 27 pronomen demonstrativum Latinum (Dat.sg.) | 54 littera alphabeti Graeci |
| 28 rapis | 55 coniunctio linguae Latinae |
| 30 frigida | 56 pecuniam solvens liberas |
| 31 homo astronomiae peritus, qui solem medio in uni- verso esse dixit (Gen.) | 58 incolae immortales Olympi montis |
| 34 libellus Latinus nostro- rum temporum (breviter) | 59 sed |
| | 60 animal domesticum mures captans (Abl.) |
| | 61 contra (Graece) |
| | 62 patria Senecae philosophi |



- 66 controversia
 68 "... sacra fames" Vergilius poeta scripsit
 69 notae lagonis vini adiectae (Nom.pl.)
 71 pronomen personale (Acc.)
- 72 bestiola regiones meridiana habitans et libentissime apricans
 74 maxima parvitate praediti
 76 uxor Latini regis (Gen.)
 77 famem tolle!

ad perpendiculum

- 1 aestimatio, quae non ad numerum, sed ad naturam pertinet
 2 singulari modo
 3 meritum consequeremini
 5 numerus "55" (Latine)
 6 veneremur
 8 pars anni (Abl.)
 9 ad coquendum nonnumquam necessarium (Gen.)
 10 dea ultrix Graeca (Acc., Graece)
 12 provincia Romana in Hispania sita (Andalucia)
 13 mater Apollinis Dianaeque deorum
 14 patria Traiani Hadrianique imperatorum (Gen.)
 16 vocem canis ede!
 19 arrosi
 22 insula Graeca (Dat.)
 24 flavus fere, ad equos tantum pertinens (Nom.sg.f.)
 28 insula prope Neapolim sita
 29 ille rex Phrygiae, qui omnia a se tacta aurum fieri cupivit (Gen.)
 32 pars oris, vel deliciolae
 33 ad locum pertinens, quo aqua hauriri potest (Dat.)
 37 sapientes et vates Persici
 38 mulieri fortissimae
 40 tectum, quod super terram panditur (Gen.)
 41 parva arca (Acc.)
 43 dono dedit (breviter)
 45 vehiculum ad maria pervenhenda aptum (Dat.)
 46 corpora spiritu vitali implet
 48 elementum ad respirandum necessarium (Abl.)
 50 parvum insectum melliferum
 53 ludi a Graecis apud Corinthum urbem commissi
 55 adulteria
 57 praecipitem das
 59 praepositio Latina
 60 quae casus hominum regunt
 63 litus (Acc.)
 64 vestis, qua caput circumdari potest
 65 incede!
 67 testae (Nom. pl.)
 70 inquit
 73 ac
 75 tot noctes Scheherazade fabulas narravisse dicitur (numero Latino)

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

SOLUTIONES

...quadrati magici, quod vobis in priore RVMORIS VARIII fasciculo proposuimus, hic demonstrantur:

| | | | | |
|----------------|----------------|----------------|----------------|----------------|
| ¹ C | ² A | ³ R | ⁴ A | ⁵ S |
| ² A | D | I | R | E |
| ³ R | I | P | A | M |
| ⁴ A | R | A | R | E |
| ⁵ S | E | M | E | N |

1. quae nobis cordi sunt (Acc.pl.)
2. ad locum aliquem se conferre
3. fines fluminis (Acc.sg.)
4. officium agricolae
5. origo plantarum

RVMORIS VARIII domus editoria



De feriis aquaticis in Batavorum finibus actis

(Narrationis pars prima)

Multo iam mense Martio huius anni in dies magis mirabar uxorem meam nondum ullam vocem edidisse de proximis feriis mense Aprili agendis. Atqui mense Martio iam exacto de improviso se aperuit dicens se iam pactam esse cum coniugibus amicis illis Monacensibus, Henrico et Hildegarda, ut quindecim dies in Nederlandia agerent.

"Sine me?" interrogavi.

"Sine te nimirum, quoniam semper domi manere mavis."

"Et quid ibi agere in animo habetis? In Nederlandia mense Aprili, ubi caelum satis frigidum est?"

"Navigabimus per lacūs et canales Nederlandiae septentrionalis. Autóscapham (Motorboot) XXXIII pedes longam iam conduximus (mieten). Quae autóscapha instructa est duabus diaetis (Kajüten). Altera diaeta in prora, altera in puppi

est, ita ut binae coniuges separatim et commode dormire possint."

"Quid significat 'binae coniuges'? Ego te non comitabor."

"Scio", respondit uxor subridens.

"Scitisne omnino navigare?"

"Henricus scit, ut qui quadraginta annis ante miles classicus (Marinesoldat) fuerit."

"Intellego. At quem in locum ad coniuges Monacenses convenies?"

"Conveniemus in oppidum nomine 'Lemmer' ad mare Ijssel situm. Ibi etiam autoscapham accipiemus. Saturni die proximo aeroplano Amstelodamum vehar. Inde ferrivia ad oppidum Lemmer, cuius in portum conventuri sumus, Henricus, Hildgarda et ego."

"Quid autem fiet, si eos non reperies?"

"Exquiram eos interrogando homines."

"Tune vis homines interrogare, Batavorum linguae ignara?"

"Anglica lingua utar, cuius ibi quilibet est peritus."

Vos, cari legentes, opinor iamdudum intellexisse calliditatem uxoris meae. Tam callida re vera facta est labentibus annis, ut se solam profecturam simulet haud ignorans me numquam pati se solam in terras longinquas proficisci, praesertim cum periculum magnum instet, ne sorti ignotae se offerat procul a domo.

Reapse (tatsächlich) iam postridie mane uxori aperui, quod clam exspectaverat, videlicet me constituisse iter cum illa facere. Uxor autem denuo simulavit susurrans consilium meum sibi esse rem improvisam. At malitiose subridens adiecit se non dissentire, immo vero sibi gratissimum esse me una secum profecturum. Ita factum est, ut mense Aprili proximo (im vergangenen April) ad portum oppidi Lemmer adveniremus. Sed neque autoscapham neque amicos nostros reperimus. Namque portus patebat mille passus et naves omnis generis ibi erant ad ancoras deligatae. Nemo nos nec de nave neque de amicis Monacensibus certiores facere poterat. Tum re iam fere desperata fame siti que adducti cauponam vicinam intravimus cenaturi. Paulatim, dum cenamus, caupo homo satis adfabilis, nobiscum colloqui coepit. Cum autem iam sub finem cenae essemus, uxor eum interrogavit, nonne casu sciret locum, quo autoscapha nomine 'Connoisseur' de-

ligata esset. "Nimirum", respondit, "optime scio locum." Et nobis locum accurate descripsit. "Quam fortunam secundam!" exclamavi. "Gratiam tibi habemus plurimam, domine. Namque iam desperaveramus nos unquam posse reperire amicos nostros." Et ille: "Magnopere gaudeo, quod vobis utilis potui esse. Nunc nihil facilius est quam vos ad navem vestram pervenire."

Exiimus portum petituri et paene illuc adveneramus, cum uxor "Ecce amici nostri!" exclamavit. Tum salutatio laetissima facta est et in amplexibus iacebamus. Nam amici quoque nos anxiosissimi quaesiverant. Tandem aliquando autoscapham conscendimus et rebus nostris in diaeta collocatis ad mensam assidentes sermonem perduximus usque ad mediam noctem. De arte navigandi imprimis erat sermo, Henrico multum praedicante de experientia sua nautica, quam acquisivisset XL annis ante miles classicus.

Cum autem cubitum iissemus, nos in ultima parte navis, illi in prima, male dormivi ut insueto loco, somniis territus, interdum frigore etiam experrectus.

Postridie mane, ientaculo (Frühstück), quod amica Monacensis iucunde paraverat, habito aucti sumus, Henrico gubernante. Gubernaculum erat formā rotae, qualibus in autocinetis nostris utimur. Ante rotam in sella altiore sedens Henricus tam commotus perturbatusque rotam volvit ab una ad alteram partem et retrorsum, ut ridiculam speciem praeberet et fere insanus videretur. Ego prope sedens diu anxiose spectabam eius modum gubernandi, cum subito intellexi eum de arte gubernandi ne primam quidem litteram scire nosque omnes periculum naufragii subituros fuisse, si diutius eum gubernare sineremus. Et re vera! Paulo post ad palum (Pfahl) quendam ad ripam situm durissimo ictu appulimus nosque omnes praeter Henricum de sellis cecidimus. Tum ego Henrico: "Permitte, quaeso, ut ad gubernandum tibi succedam (ablösen)! Dubium sane est, num melius te gubernem, sed peius quam te me gubernaturum non puto." Mutus, truci vultu me spectans de sella concessit. Itaque gubernator factus mox expertus sum, etsi antea numquam navem gubernavissem, gubernare autoscapham vix differre ab autocineta gubernanda; et reapse per complures dies per lacūs et canales Nederlandiae septentrionalis sine ullo incommodo gubernabam ita, ut uxor mea et uxor Henrici sollertiam meam

laudarent, dum Henricus excitatus huc et illuc currit vocabulario nautico alta voce utens neque desiit me docendo, quomodo gubernandum sit.

(Narrationis pars finalis proximo libello sequetur)

Emanuel Bernard

De Coquina Romana

(Tractationis pars secunda et finalis)

CENA ROMANA

(modi pro X convivis)



I) Pepones et melones (Apicius 3, VII)

| | |
|--|--|
| Piper, puleium, mel vel passum, liquamen, acetum; interdum et silfi accedit. | 1 pepo; 1 melo; 1/2 ligula piperis triti; 1 cochlear puleii; 1 mucro salis; 2-3 cochlearia aceti; 0,3 l(itrae) passi; 1 cochlear mellis. |
|--|--|

II) Gustum de praecoquis (Apicius 4,V,4)

| | |
|---|--|
| duracina primotica purgas, enucleas, in frigidam mittis, in patina componis. teres piper, mentam siccam, suffundis liquamen, adicies mel, passum, vinum et acetum. refundis in patina super praecoquia, olei modicum mittis et lento igni ferveat. cum fervuerit, amulo obligas. piper aspargis et inferes. | 15 praecoquia; 1/2 ligula piperis triti; 1 ligula menthae; 1/4 ligula salis; 1 1/2 cochlearia mellis; 0,15 l passi; 0,2 l vini; 2 cochlearia aceti; 2 cochlearia olei; amulum vel farina siliginea; piper tritum |
|---|--|

III) Minutal marinum (Apicius 4,III,1)

| | |
|---|---|
| pisces in caccabum, adicies liquamen, oleum, vinum, cocturam, porros capitatos, coriandrum minutatim concides, isiciola de pisce minuta facies et pulpas piscis cocti concapis, urticas marinas bene lotas mittes. haec omnia cum cocta fuerint, teres piper, ligusticum, origanum, fricabis, liquamen suffundes, ius de suo sibi, exinanes in caccabum. cum fervuerit, tractam confringes, obligas, agitas. piper aspargis et inferes. | 3/4 kg piscis; 1 1/2 ligulae salis; 4 cochlearia olei; 0,3 l vini; 0,5 l cocturae; 2 porri; coriandrum tritum (1 cochlear); 1 ligula piperis triti; 1 cochlear ligustici; 1 cochlear origani; 1/2 ligula salis; tracta vel farina siliginea; piper tritum |
|---|---|

IV) Aliter haedinam sive agninam exaldatam

(Apicius 8,VI,2)

| | |
|--|--|
| mittes in caccabum copadia. cepam, coriandrum minutum succides, teres piper, ligusticum, cuminum, liquamen, oleum, vinum. coques, exinanes in patina, amulo obligas. | 10 copadia agnina; 2 magnae cepae; 2 cochlearia coriandri; 1 ligula piperis triti; 1 cochlear ligustici; 1 ligula cumini; 2 ligulae salis; 0,15 l olei; 1 l vini |
|--|--|

V) Pullus farsilis (Apicius 6,IX,16)

| | |
|---|---|
| pullum sicuti liquaminatum a cervice expedies. teres piper, ligusticum, gingiber, pulpam caesam, alicam elixam, teres cerebellum ex iure coctum, ova confringes et commiscis, ut unum corpus efficias. liquamine temperas et oleum modice mittis, piper integrum, nucleos abundantes. fac impensam et imple pullum vel porcellum, ita ut laxamentum habeat. similiter in capo facies. ossibus e- iectis coques. | 1 pullus (1 kg); 1/2 ligula piperis triti; 1 ligula ligustici; 1 mucro gingiberis, 200 g pulpae caesae; 100 g alicae elixae; 1/2 cerebellum porcinum; 2 ova; 1 ligula salis; 1 cochlear olei; 1 ligula piperis viridis integri; 50 g nucleorum pineorum |
|---|---|

VI) Dulcia domestica (Apicius 7,XIII,1)

| | |
|-------------------------------------|----------------------|
| palmulas vel dactylos excepto semi- | 20-30 dactyli recen- |
| ne, nuce vel nucleis vel piper tri- | tes; nuces tritae; |
| tum infercies. sales foris contin- | mel cum vino; sal |
| gis, frigis in melle cocto et infe- | |
| res. | |

VII) Tiropatinam (Apicius 7,XIII,7)

| | |
|--------------------------------------|----------------------|
| accipies lac, adversus patinam aes- | 1/2 l lactis; 5-6 |
| timabis, temperabis lac cum melle | ova; 2-3 cochlearia |
| quasi ad lactantia, ova quinque ad | mellis; piper tritum |
| sextarium mittis, si ad emina, ova | |
| tria. in lacte dissolvis ita, ut | |
| unum corpus facias, in Cumana colas | |
| et igni lento coques. cum duxerit ad | |
| se, piper aspargis et inferes. | |

VIII) Mustaceos sic facito (Cato, de agricultura 121)

| | |
|--------------------------------------|-----------------------|
| farinae siligineae modium unum musto | 1 kg farinae siligi- |
| conspargito; anesum, cuminum, adipis | neae; 1 cubus faecis |
| p.II, casei libram - et de virga | (=40 g); 1/2 l musti; |
| lauri deradito - eodem addito, et | 1 cochlear anesi; 1 |
| ubi definxeris, lauri folia subtus | ligula cumini; 100 g |
| addito, cum coques. | adipis (butyri); 50 g |
| | casei; lauri folia |
| | integra |



libri adhibiti:

Apicius: De re coquinaria
Das Kochbuch der Römer

A. Marsili, Pisa 1957
Artemis Verlag, Zürich
1984

Cato: De agricultura: De l'agri-
culture

Société d'édition "Les
Belles Lettres", Paris
1957

Apicii librorum X qui dicuntur De
re coquinaria

Teubner, Leipzig 1922

Vocabularium:

| | | | |
|-------------------|----------------------------|-----------------------------|-------------|
| acetum | Essig | expedire | ausnehmen |
| adeps,-ipis f. | Fett | faex | Hefe |
| adicere | dazugeben | farina siliginea | Weizenmehl |
| agitare | rühren | fervere | sieden |
| alica elixa | gekochte Grütze | fretale | Bratpfanne |
| allium | Knoblauch | fricare | reiben |
| amulum | Stärkemehl | frigere | rösten, |
| amygdala | | | braten |
| (amygdalum) | Mandel | furnus | Ofen |
| anesum | Anis | gingiber | Ingwer |
| anethum | Dill | hemina=1/2 sextarius=0,27 l | |
| angularis,-is, m. | Auflaufform | ignis lentus | kleine |
| apium | Eppich | | Flamme |
| apua | Sardelle | impensa | Masse, Teig |
| aspargere | daraufstreuen | infercire | hinein- |
| avellana | Haselnuss | | füllen |
| Baca myrthea | Myrthenbeere | inferre | auftragen |
| boletar | Servierschüssel | isiciola | Fleisch- |
| bullire | sieden, kochen | | bällchen |
| caccabus | Kochtopf | lac | Milch |
| calix | Kelch (mensura: 0,15 l) | lagoena | Flasche |
| capo,-onis m. | | lanx | Platte |
| (capus) | Kapaun | laser = Asa foetida | |
| cardamomum | Kardamom | laurus | Lorbeer |
| caroenum | eingekochter Most | mappa | Serviette |
| cepa | Zwiebel | mel | Honig |
| clibanus | (tragbarer) Ofen | melo | Honig- |
| cochlear | Löffel | | melone |
| coctura | Brühe | mensa | Tisch |
| colare | durchseihen | mentha | Minze |
| colum | Sieb | mittere | geben (in) |
| conspargere | bestreuen | mola | Mühle |
| copadium | Schnitzel, Kotelett | mortarium | Mörser |
| coquere | kochen, backen | muco | Messer- |
| coriandrum | Koriander | mustum | spitze |
| | | | Most |

| | | | |
|------------------|--------------------------|--------------|------------------|
| costum | Kostwurz | nepeta | ital. |
| craticula | Grillrost | | Katzenminze |
| crocus | Saffran | | Pinienkerne |
| culter | Messer | nuclei pinei | ne |
| Cumana | Tonkasserole | | binden |
| cuminum | Kümmel | obligare | (Oliven)öl |
| dactylus | Dattel | oleum | Topf, |
| damascenum | Damaszenerpflaume | olla | Kessel |
| defrutum | stark eingekochter Most | olus | Gemüse |
| discus | runde Platte | origanum | Oregano |
| doliolum vitreum | Einmachglas | ovum | Ei |
| exinanire | auskippen | palmula | kleine Dattelart |
| pepo | Wassermelone | | Brötchen |
| petroselinum | Petersilie | panicellus | Mohn |
| piper | Pfeffer | papaver | sehr süßer Wein |
| poculum | Becher | passum | Pfanne, |
| porcellus | Ferkel | | flacher Topf |
| porrus | Lauch | patina | Pfirsich |
| praecoquium | Aprikose | | Salz |
| primoticus | noch nicht ganz reif | persicum | Salbei |
| puleium | Poleiminze | sal | = 0,54 l |
| pullus | Hühnchen | salvia | = laser |
| pulpa | Fleisch ohne Knochen | sextarius | Narde |
| pulpa caesa | Hackfleisch | silphium | dazugies- |
| repositorium | Tablett | spica Indica | sen |
| | | suffundere | mahlen, |
| temperare | abschmecken | térere | reiben |
| tracta | Teig aus Mehl und Wasser | trulla | Schöpflöffel |
| urtica marina | Qualle | | = gingiber |
| uva passa | Rosine | zingiber | |

Robertus Maier




SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

AZ

8050 Zürich

7+8/88

IDIBVS AVGUSTIS
MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

TOMUS II

FASC. 72